

*Bibliothèque numérique*

medic@

**Dubois, Antoine. *Oratio habita in  
ædibus facultatis medicæ, die 18  
mensis junii 1818, postquam filius, ad  
doctoris gradum promovendus, suam  
thesim, illo præside, propugnavisset***

*Paris : typis Fain, juxta Odeon, 1818.  
Cote : 90958, t. 400, n°2*

*2. 0*

# ORATIO

HABITA IN ÆDIBUS FACULTATIS MEDICÆ

AB ANTONIO DUBOIS

PROFESSORE;


DIE 18 MENSIS JUNII 1818,

POSTQUAM FILIUS,

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS,

SUAM THESIM, ILLO PRÆSIDE,

PROPUGNAVISSET.



20

TYPIS FAIN, JUXTA ODEON.

ANTONIUS DUBOIS

AD COLLEGAS SUOS, MEDICINÆ

PROFESSORES.

AMANTISSIMI SODALES ET SOCII,

SEDEO felicissimus pater simul et judex et  
præses, coram ornatissimo auditorum  
consessu, inter vos cum singulari benevolentia  
interrogantes, et dulcem filium de gravis-  
simis medicinæ partibus respondere conan-  
tem.

Jampridem expertus nihil amicitia vestra  
carius animo meo insidere, et amicorum  
talium nunquam vel medicis vel aliis homi-  
nibus satis esse, lætor admodum, quod

novam in hoc solemni cœtu gratiam vobis  
debuerim; quam quidem nec reddi, nec  
solvi posse unquam putabo; vix etenim  
vobis sat gratus videar, si semper apud me  
integra remanserit; si, quantas insuper gra-  
tes possim, per totum vitæ curriculum  
adjiciam.

Fortunati ambo et genitor et natus, si,  
dùm nova evolveret medicandi præcepta  
quibus imbui mentem, dùm varia operandi  
exempla quibus manum illius instruxi reci-  
taret, non vestram lassaverit attentionem,  
et spes vestras non sefellerit; si me non  
vana et inaudita surdis auribus cecinisse,  
et parùm fidelibus oculis indigitavisse agno-  
veritis!

Quid restat nunc, amantissimi sodales,  
nisi vos obtestari, ut eâdem benignitate  
semper juvenem hunc prosecuti, tunc adop-  
tatum aliquandò, si labor, virtus et merita  
præstiterint, paternâ suscipiatis caritate,

meamque vicem suppleatis meī memores,  
postquām ultima et indeclinabilis hora fati,  
quam nec opto nec vereor, me hāc luce  
cassum, me laboribus atque officiis defunc-  
tum, communi gremio naturae restituerit?

Sed quid ego de duobus illis principiis,  
à quibus cuncta in orbe terrarum manant  
atque pendent, id est, de fato et naturā  
loquor vobis, siquidem vetat locus, et de  
extremis loqui plurima ignavi animi indi-  
cium arbitror? Attamen, ô vos sodales  
amantissimi, nolite *spartanum* illud meum  
abnuere testamentum; solam hanc vobis  
effigiem atque imaginem meī, filium disciplinā  
mēā institutum relinquam. Hoc opus  
meum, hanc animi formam superstitem  
potiūs quām figuram corporis accipite: et  
grande destinati decessūs solatium feram, et  
in novissimā die nihil desiderabunt oculi mei.

Tu verò, fili carissime, jam nunc as-  
suesce, ut patres piis affectibus amplecti,

quos omni doctrinarum genere excellentes magistros admirari et venerari jamdiù soles : horum exempla et vestigia sequere , ut cunctas artis nostræ partes percalles ; præcipua tibi sit felicitas et videre illos et illis videri : ab his , disces humani corporis texturam , physiologiæ leges , chimiæ secreta , botanices mysteria ; ab illis , potestates herbarum , pathologiæ classes et therapeutices præcepta ; ab aliis , chirurgices vim et solertiam , pharmaceutices mixturas et pocula , deniquè medicinam Themidis ducem ; nec recusabis , si quandò te patria per oppugnantium tela et ignes , per præliorum vulnera vocaverit , imitari fortes animos eorum , quos Pyrenes et Alpium scopuli , Germaniæ flumina et montes , marium procellosi tractus , Nili pestilentes et ardentes arenæ , boreales pruinæ , magis quam victores ipsos obstupuerunt , et ipsa semper obstupescet remotissima posteritas.

Verumtamen, ô fili, inter tot insignes viros, clarissima saluberrimæ Facultatis lumina, absentem requires ( proh dolor! ) primum nostræ clinices antistitem! neque hunc audies amplius, tûm de cordis pathologiâ, tûm de morbis quibuslibet internis, judicio et conscientiâ disserentem hippocraticâ; qui quidem civitati parisinæ humanoque generi amissus, vitam adhuc trahit miserabilem, et famâ suâ fruitur, stans in longinquò magni nominis umbra venerabilis!

Scilicet summus ille philosophus te monuisset, jam pridem evolavisse tenebrosa ignorantiae secula, ubi chirurgus fomenta et scalpellum, medicus inania pharmacorum nomina et sesquipedalia verba tantùm novarat;

Ubi ipsa gallicæ comœdiæ musa cum ægrotis et pharmacopolis medicinæ theses, ipsosque medicos et medicorum filios unâ

eādemque fabulā plaudenti plebeculæ deri-  
dendos propinabat;

Tunc medicinæ imperanti servam parere  
chirurgiam;

Hodiè utramque omni studiorum genere  
ita vigentem enitere, ut in regione sublimiori  
collocata extra telorum comicorum jactus  
assurgat;

Hodiè dominationem nullam, nullam  
incumbere servitutem;

Artem sanandi, olim divisam, et super-  
stitioni famulantem, nunc unam esse atque  
liberam; ipsam etenim, si aliter fieri posset,  
cæcam, claudam, et mancam fore;

Credendum esse potius *Hippocratis* ora-  
culo, *periculosa experimenta, judicium*  
*difficile* pronunciantis, quām novarum op-  
tionum primis motibus, undē tanquām ex  
uberrimo fonte tot errores, tot mala per  
populos derivata fluxerunt;

Nos è caliginosâ nocte ad lucis dubiæ

crepuscula paulatim emergere; nondum  
affulgere sapienti clarum solem; et in fre-  
quenti scholarum nostrarum ambitu unam  
semper vacare cathedram, semper unum  
deesse professorem, nempè *veritatis ignotæ*  
interpretem.

Hæc et alia prorsus utiliora noster ille  
amicus, te ( sineret insanabilis morbus )  
edocuissest, quibus pauca subjicere liceat,  
quæ jam tecum ego sæpè his absentibus,  
quæ nunc iisdem audientibus dicam, ut  
tam venerandi conventus suffragio conse-  
crata in tuam mentem altius descendant.

O nate, ad hunc doctoris gradum vigiliis  
et laboribus pervenisse nihil est : legibus fe-  
cisti satis ; sed plura postulamus quam leges ;

Magnum opus aggrederis, et invidiosæ  
aleæ plenum : tibi nunc curriculum patet.  
Age, vigila, et, ut ait lyricorum latinorum  
princeps, *venere et vino abstine, suda et*  
*alge*, meditare noctu, per diem operare,

scribe parùm , deniquè *brevem vitam*, quan-  
tulacumque est, *longæ arti*, impende, ut  
metam contingas;

Verumenimverò alia res est ante scien-  
tiā longè magis necessaria, et hoc tibi im-  
primis animo desixum immotumque sedeat;

Nullus est verè medicus , nisi vir probus  
sanandi peritus ; cujus quidem probitas tam  
arctis , tam religiosis continetur finibus , ut  
sacrosancti illius mores extra omnem cor-  
ruptelæ suspicionem semper servandi sint;

Non alia tibi sint in privato , alia in pu-  
blico verba : ubiqùè idem animus , idem  
sermo semper sit ;

Cave ne foeda argenti sitis , ne vana usur-  
patæ famæ ambitio te transversum agat ,  
quia lucri rubigo pectus infectum urit ,  
quia *diurnum* nomen non manet *diuturnum* ;

Semper incedes dubitando , nisi certa ex-  
perientia te certum fecerit;

Absit , ut insolita et periculosa tentando

quæ nihil profutura sint, *animas viles* hominum in hospitiis communibus ægrotantium audax irridere videaris;

Curam pauperibus vel divitibus eamdem afferes et æqualem, siquidem cuncti æquales nascuntur, moriuntur æquales;

Non aliter in te convertes oculos, et potentem comparabis virorum illorum tutelam, quos rectores providentissimos parvina hospitia, quos patres optimos sibi gratulatur ægra pauperum turba; sic interna sedulò colentem nosodochiorum officia, te notabunt illi homines non minùs ingenio, dignitate et purpurâ, quam virtutibus omnimodis insignes. Quòd si tales viri, qui non semel mihi faverunt, te diligentiam moribusque sibi placuisse declaraverint, jam non de futuro sollicitus, duplice hanc erga nos benevolentiam tibi uni aliquandò tradam velut hæreditatem omni patrimonio præstantiorem.

Huc igitur specta ; huc contendere : et sum-  
mum crede nefas , pudorem , primam vi-  
vendi causam , non tueri ;

Majus crede nefas , arcana non tacere ,  
quocumque modo credita tenueris : fides  
enim commissa tuam fidem tenacioribus  
obligat vinculis , quam aris solemnibus con-  
firmata jurisjurandi religio .

Forsitan hic antiquitatis exemplo induc-  
tus , te divinos *Hippocratis* libros tangen-  
tem , ut solebant fideles discipuli , ipsius  
doctrinæ et invicto in patriam amori astrin-  
gere sacramento debuerim .

Verum alia tempora , alii mores : nonne  
etenim hanc nostram ætatem vidimus vir-  
tutum simul et scelerum fecundam paren-  
tem , repetitis imbutam fraudibus , religio-  
nis et civium jura , populos et reges vicissim  
jurando fallentem , et societatis legumque  
fundamenta perturbantem ? Revocate in  
memoriam , si fas est , auditores ornatissi-

mi, quot ævo maturi homines, quot senes etiam sepulcro proximi, nuper sordidas et vix pueris dignas ambages violandæ fidei exquirerent; ut venalia sponsionum pactorumque ludibria quotannis in lucem profarentes, et perfidiæ vorticoso turbine in perjuria præcipites acti, omnem sacramenti excusserint sanctitatem.

Itaque, ô fili, non hodiè jurabis, neque per immortales libros, neque per augustum *Coï senis* caput, quod supra terrenam fecem et corruentium imperiorum rudera seculis elatum, in orbe terrarum universo regnat atque dominatur : sed eadem præcepta, quæ veteres medici juravere, tu, quamvis non jurata, servabis. Interea paternæ potestatis sacerdotio naturali induitus, Hippocrati te voveo, dico atque consecro.

Deniquè sic inauguratum doctorem, ô fili carissime, te hæc ultima paucis monitum volo, ut cùm fausta occasio se tibi obtulerit,

iter hodiè incœptum firmiore gradu moliaris  
et peragas.

En erit aliquandò illa dies, exoptata dies,  
quâ nobiles in arte medicâ æmuli, pro va-  
canti cathedrâ quâlibet, inter se concursu  
publico advocati decertabunt, victoriam  
non iniquo favore, sed judicibus magistris  
relaturi : tunc si te longis laboribus disputa-  
tionumque periculis probatum, et necessa-  
riis instructum dotibus, in gremio suo pro-  
fessorem (quod utinam, iterùmque utinam!)  
saluberrima Facultas admiserit, memento  
magistros tuos quamvis tunc sodales factos  
usquè venerari : memento studiosam juve-  
num audientium phalangem summâ benigni-  
tate conciliandam, præcipuo fovendam  
amore, et meritâ veneratione esse continen-  
dam;

Hæc juventus semper patriæ solidum  
tutamen, artis medicæ blanda spes et decus,

libertatis vividum robur , nihil falsum , nihil  
vile , nihil insidiosum admittit ;

Hæc juventus per se veridica , nondum ad  
simulationis artificium erudita , innocentis  
animi virginitatem illibatam , subtilis judicij  
sinceram sagacitatem ubique circumfert ;

Melior professori modestè perito quām  
superbè ignaro , nihil veniæ , nihil laxamenti  
habet , si nomine tantū , non re ipsā mu-  
nus adimpleveris ; vultum disserentis aspectat  
curiosius , dicta attentiūs excipit , mentem et  
ludos etiam scrutatur , excutit ( nam latere  
nequit qui omnibus vivit ; totus patet qui  
loquitur omnibus : ) hæc eadem , postquām  
æquis trutinæ lancibus quemque suspende-  
rit , discrimina et locos assignat ; mendaci  
larvam detrahit ; ingrato ad nudum lacerat  
togam inexorabilis ; imperitum *clamantem*  
*in deserto* cum contemptu deserit , ipsā fugā  
et silentio quām facetè aut callidè pronun-  
ciatis formidabilior .

O nate, ô vos illius condiscipuli, nam vos omnes, iisdem disciplinis conjunctos, eodem amore ut fratres complector; jamjam quadragesimus effluxit annus, ex quo inter juvenes agmine perpetuo ad hoc Æsculapium succedentes versatus, artis edocendæ susceptum onus profiteor, nunquam hos eadem caritate quâ patriam, quâ liberos, fovere destiti: semper hunc diligendi sensum à naturâ ingenitum ita pietate mutuâ pensaverunt, ut indè mea felicitas, mea vita pependerit.

Quæ quidem merces non quæsita, (amantem enim redamant) mihi dulcedine suavissimâ pectus adhuc titillat et gaudio perfundit maximo, confirmatque hanc meam agendi normam, hanc veterem animi sententiam, quam usque ad extremum vitæ cardinem profitebor,

DISCIPULIS PLACUSSSE BONIS MEA MAXIMA LAUS EST.

FINIS.